

*Acta Apostolicae Sedis — Commentarium Officiale*

## ACTA OFFICIORUM

### PONTIFICIA COMMISSIO

#### AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

##### RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

Eñi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

##### I — DE COLLATIONIBUS MORALIBUS

D. An inter *curam animarum habentes*, de quibus in canone 131 § 3, recensendi sint religiosi sacerdotes, qui munere funguntur catechistae, vel vicarii cooperatores, vel cappellani a parochis dependentis in nosocomiis aliisque piis domibus.

R. Negative quoad religiosos catechistas; affirmative quoad religiosos vicarios cooperatores vel cappellanos, si, ad normam canonis 476 § 6 Codicis I. C., vicem parochi suppleant eumque adiuvent in universo parochiali ministerio.

##### II — DE CONFESIONE RELIGIOSARUM

D. Utrum verba: *loco legitime destinato*, de quibus in interpretatione diei 24 novembris 1920 ad canonem 522, intelligenda sint tantum de loco habitualiter designato, an etiam de loco per modum actus designato vel ad normam canonis 910 § 1 electo.

R. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

##### III — DE ANNO NOVITIATUS

D. I. An indultum apostolicum requiratur ut annis canonicus novitiatus, de quo in canone 555 § 1 n. 2, transferri possit in secundum novitiatus annum iuxta § 2 eiusdem canonis.

II. An loci Ordinarius dispensare possit super secundo novitiatus anno, si hic in constitutionibus ad professionis validitatem non requiratur ad normam canonis 555 § 2.

R. Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative, dummodo agatur de Religionibus iuris dioecesani.  
Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 12 mensis Februarii anno 1935.

✠ A. Card. SINCERO, Episcopus Praenestinus,  
*Praeses.*

L. ✠ S.

I. Bruno, *Secretarius.*